Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2135
Quelle:
Copyright:

tis domini in dominicam euenerit, computandum est ab ipsa dominica et non a sequenti. Schema est ejusmodi: Abbatis eremberti germanus frater heinricus Monachus istam collegit tabulam uerbis indoctis admodum consulens. Oportet igitur quemlibet studiose istum retinere numerum literarum docentem cunctos cristiani nominis quando usualiter debeant carere carnibus &c. Complectitur annos CLXIV. et per decursum invitat ad audiendum *frisones Saxones westphalos bauwaros sveuis adjunctis turingos polonos hessones linguam teutonicam vniuersam romanam sclauicam.* Ad calcem: *Explicit tabula Heinrici Monachi.* Hujus nominis Coenobitam *Hastigemensem* Chronotactica plura scripsisse tradit *Trithemius* in *Catal. illustr. Viror. Germ. f.* 26. verum inter hujus Coenobii Abbates nemo *Erembertus.* Quid si lateret hic supra dicti S. *Gothebardi* magister et Abbas *Altabensis Erkanpertus;* satis enim notum est, *Erkanpertum, Erchembertum, Erembertum, Rembertum,* q. d. *honore dignum* vel *splendidum,* in idem recidere. Vixit is Sec. X. exeunte. *Capitularis* porro ipsius frontem ornat *Elisabetha* Regina in genua procidua, Deoque Codicem offerens. Thecae recentiori impressum est Scutum tribus liliis insigne jam alias indicatum cum anno 1590.

DCCCXCI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 667 Folior. 377. 4. bene scriptus et rubricis distinctus hoc titulo gaudet: *Incipit prologus in matutinale beate Marie virginis quod dicitur laus virginis.* Praeit vero sequens Nota: *Anno domini M°. LXXXXVI°. Vrbanus papa 2ª Concilium celebrauit in claromonte aurelianensis dyocesis Et ibi constituit, quod hore ad honorem beate marie virginis omni die dicerentur et eius officium diebus sabbatorum solenniter celebraretur, ut recitat petrus aurelianensis super apokalips. visione ultima prope finem. Qui claruit anno domini M°. CCC°.* Accedunt *Benedictiones de beata virgine* cum Responsoriis, quibus praefixus annus 1. 4. 7. 9. Adi de praedicto Statuto editionem *Venet. Concill. Labb.* T. XII. *col.* 841. ubi notatur, *Horas* de B. V. primum ab Eremitis e disciplina *Petri Damiani* persolvi coeptas esse. Pro anno Concilii supra indicato rescribe 1095. *Petrum Aurelianens.* qui in *Apocalypsin* scripserit, adhuc quaero. Et jam ad Prologum. *Ad laudem matris virginis eiusque sacratissime prolis ad satisfaciendum quoque desiderio venerabilis in christo patris Domini Meinhardi de Noua Domo Electi tridentini hoc deuocius requirentis Ille cartusiensis qui iam pridem*